

Item: quod terminus solutionis stipendii prædicti pro duobus mensibus, currere et incipere debeat a die quo, ut præfactum est, dictus capitaneus ad expeditionem huiusmodi iter continuare potuerit cum numero equitum ac peditum supra scripto ac sufficienti artelaria.

Item quod sanctissimus Dominus noster et Dominium antedictum debeant dare idoneas fidejussiones Neapoli vel in regno Ciciiliæ quæ respondeant, et solvere debeant dicto capitaneo generali, finitis dictis duobus mensibus pro quibus ei soluta fuerunt octuaginta milia ducatorum auri ut præfertur, ducatorum 40 milia singulis mensibus quamdiu bellum vel expeditio duraverit ut præfertur.

45. Item: quia equum et honestum est quod dictus capitaneus generalis, pro debito oneris sibi demandati, et equites sexcentos Sanctissimi Domini nostri revidere possit ut sint armis et equis recte instructi vel ne, initum est, quod pariter Sanctissimus Dominus noster unum commissarium deputare debeat, qui numerum gentium armorum utriusque armaturæ ac peditum dicto capitaneo ut præfertur commissarum recensere, et gentes huiusmodi armigeras et pedites nec non artellariam sit bene munitam, semel saltem singulo mense, ne desint in numero prædicto, revidere possit.

Item: quod Sanctissimus Dominus noster teneatur et debeat contra quoscumque, quavis dignitate, auctoritate ecclesiastica vel mundana, etiam regia fulgentes, et prædictos huiusmodi ligæ et fœderis se opposcentes eisque auxilium, consilium, favorem prestantes, tam in Italia quam extra, censuras et pœnas ecclesiasticas fulminare et publicare, prout et quotiens opus fuerit.

Item: quod si alicui ex confœderatis, post publicationem fœderis et illius occasione per quemvis injuriam seu bellum illatum fuerit, reliqui confœderati ei auxilio esse teneantur, principali tamen expeditione propter hoc non intermissa seu diminuta.

Item: quod si quis rex, princeps vel potentatus vel quivis alius se oppone huiusmodi ligæ et fœderis, quominus S.^{mus} Dominus noster Bononiam ejusque comitatus et districtus aliasque civitates, terras urbes, arces, oppida et loca S. R. E. mediate vel immediate pertinentia et expectantia a quocumque et quovis modo ut præfertur occupata recuperare non possit, tunc et eo casu confœderati omnes contra talem sic se opponentem et resistentem teneantur, debeant, ac sint obstricti, jure ligæ huiusmodi et fœderis, omni conatu aperto bello procedere ad capiendos talis sic se opponentis omnes civitates, terras,

arces et loca ac statum et dominia quæ in Italia habet: et quod si talis sic se opponens occupet vel detineat aliquas civitates, terras, arces, oppida et loca quæ ad aliquem confœderatorum pertineant et spectent, liceat ipsi confœderato illa si recuperata fuerint, licite retinere et possidere, et super hoc stetur declarationi Sanctissimi Domini nostri. De reliquis vero stetur ordinationi confœderatorum.

Item: quod si contigat aliquem ex confœderatis 46 aliquid capere extra Italiam, possit illud retinere et jure belli, et tamen Sanctissimus Dominus noster extra Italiam aliquod præsidium dare non teneatur nisi armis spiritualibus ut præfertur.

Item: quod locus remaneat liber serenissimo Maximiliano electo imperatori semper Augusto et cuiusque alii regi et principi cristiano ad effectum præmissorum ingrediendi hanc ligam et fœdus; teneanturque confœderati suos confœderatos et adhœrentes intra XL dies, a die publicationis ipsius fœderis numerandos, nominare, dummodo talis confœderatus seu adhœrens nominandus, non sit mediate vel immediate subiectus alicuius ex confœderatis.

Item: quod intelligatur liga et fœdus huiusmodi, in quantum dictum regem Catholicum concernit, initum absque præjudicio rerum quæ sunt inter Cæsaream maiestatem et regem ipsum Catholicum, dummodo non sint contra tenorem capitulorum huius fœderis et ligæ.

Item: quod liga et fœdus huiusmodi durare firma et immutata esse debeat donec pax fiat de consensu omnium confœderatorum, et quod nullus ex confœderatis possit neque debeat quovismodo pacem seu treugam cum aliquo rege, principe, potentatu vel populo qui eidem ligæ se opposuerit inire, sine consensu confœderatorum.

Postremo, quod præfatus serenissimus rex Catholicus ac illustrissimus Dux et Dominium venetorum confœderati ut præfertur, teneantur infra 40 dies proxime futuros omnia et singula in suprascriptis capitulis et eorum quolibet contentis, sub pœnis in instrumento de super conficiendo apponendis, ratificare, laudare et approbare ac mandata seu litteras approbationis et ratificationis huiusmodi in publica forma eorumque sigilis munita mittere, cum omnibus juramentis, clausulis, submissionibus, obligationibus et cautelis in similibus necessariis, opportunis et consuetis.

Et quia omnia et singula in huiusmodi liga et confœderatione contenta, tractata et agitata fuerunt cum participatione serenissimi Enrici regis Angliæ, qui nihil intactum obmisit, una cum rege Catholico